PRIMARII GALLIARVM SENATVS PRINCIPI.

Μακροβιότητα.

QVI apud te dicere audent (SVMME SENATVS PRINCEPS) magnitudinem tuam ignorant : qui neſciunt, humanitatem. Hæc quâ nuper acceſſum mihi ad te permiſiſti, & noſtras eſſe aliquid putaſti nugas, *vt te incunctanter adirem, hortabatur : Præſertim cum ſis eâ notiſſimus humanitate, vt ab eis qui te conueniunt, tuâ magnitudine digna nolis exigere, nec adducto ſupercilio ſummoueri iubeas, qui non ſatis politi auguſta limina terunt (in quo tua virtus amabilior venit, quia* grauitatem pari comitate condîre tam rarum quàm magnum eſt) : *illa ſecùs, te quem in excelſiſſimo rerum faſtigio ſurrectum ſtare nôrunt omnes, ſine magnâ reuerentiâ, verbis byſſinis, ac veſtibus ſepoſitis adiri nefas eſſe repræſentabat ; ne ſi agaſyrtus (quo nomine Pittacus olim culpatus eſt) lepôris, vrbanitatis ac elegantiarum egens, Auguſtiſſimi Senatus Principem* ἀξιοπρέπιστον, *purpureo colore conſpicuum,* καὶ τὴν ἰδέαν τοῦ σώματος ἄμεμπτον *liberiùs compellarem, tu nimiæ me erga te familiaritatis accuſes. In hoc tandem cogitationum æſtu vicit reportandi (* ἀμήχανον ὅσον *) de fortiſſimis athletis triumphi neceſſitas : hi ſiquidem ſculptâ tuâ imagine, vti Palladis ægide percilſi obmuteſcent, omniumque aduerſariorum molles ictus venient. Quid, ſi non in ære tantùm expreſſus ſed & in cute adeſſe, ac ædes noſtras magnus hoſpes implere non dedignêris ? num aliud expectandum, quàm vt ipſi* relictâ non benè parmulâ *fugam cum dedecore maturent ? Piaculari ergò ſtultitiâ peccauerim, ſi te non adſciuerim patronum hiſce quæſtionibus, licet operoſis regni negotijs aſſiduè diſtrictum : Et ſi hôc factô imitatus fuero temeritatem Chærili, ignoſces magnanimitate Alexandri.*

Tibi addictiſſimus & humillimus cliens STEPHANVS BACHOT.

QVÆSTIO MEDICA.

969

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. APRILIS,

M. VRBANO BODINEAV Doctore Medico Regio, Moderatore.

An in febribus continuis putridis tenuis victus?

RECTA & idonea viuendi ratio non modo ſanis, ſed ægris quoque corporibus maximè neceſſaria, præcipuum eſt curationis inſtrumentum, quo Medicus artis ſupremus artifex ad morborum profligationem vtitur. In pleriſque affectibus ſola ſæpe ſufficit, in omnibus ſemper proficua, ſed in acutis præcipuè, qui haud dubiam ægrotantibus perniciem intentarent, niſi Medicus quaſi in ſpeculâ poſitus hoſtium adeò infenſorum tela reprimeret, & exquiſitâ viuendi lege naturæ ſuccenturiaretur. Tam varia ſunt victus diſcrimina, quàm multiplices morborum differentiæ. Ipſa quoque morborum tempora diuerſo victu gaudent ; ſoli hæc viuendi momenta perito artifici explorata ſunt, qui extremitates ſuillas in epilepticis, inædiam & vinum in acutiſſimorum vigore atque ipsâ curatione ſuo tempore præſcribit.

TRIPLEX diæta, tenuis, media, & plena : hæc ſanorum, tenuis & media conualeſcentium ſimul & ægrotantium : chronici morbi mediam, vt acuti tenuem expoſtulant. Tenuis & media à vegetantibus ſolis, plena non ab illis modò, ſed quoque & maximè ab animantibus eruuntur. Vnaquæque ſuos habet gradus. Imponunt ſani ſibi viuendi legem magno ſuo interdum malo. In ægrotantium & neutrorum victu decernendo, nullus à Medico arbiter eſſe debet. Conualeſcentes non ſtatim ſed eâdem temporis proportione, quâ per morbum à naturali ſtatu deſciuêre reficiendi ſunt. A viribus & morbo cuiuſlibet victus pendet indicatio. Oppreſſæ vires diſtinguendæ à fractis, quales vtplurimum in acutis exiſtunt. Ad victus tenuitatem pertinet inædia, melicratum, ptiſanæ ſuccus ex decocto hordei paratus, dum coctione tantiſper diſſiliat, additis aceto ſale, & oleo ; dum planè in ſuccum verſum fuerit hordeum, ptiſana dicitur ad mediam diætam reuocanda, ſicut aqua panata ad tenuem.

IN nobis ſiue ſponte ſuâ corrumpantur humores, ſiue extrinſecus ab obſtructione & putridorum occurſu accerſatur putredo, dubio procul eſt his omnibus de cauſis calorem natiuum minui, & oppreſſum languere, ita vt humores ſoluti & effrænati excuſſo caloris natiui imperio, in maioribus & minoribus vaſis facillimè putreſcant : Ex quo duplex febrium ingruit cohors, intermittentium & continuarum. Quæ in maioribus vaſis conſiſtit putredo, aut ipſa per ſe aut per putrem vaporem cor afficit, è quo aſſidua fit putrida febris, tam concluſa quàm ſynochus, quæ non ſecùs ac inflammationes partium principum acutis morbis accenſentur : Vt grauiſſimis ab initio ſtipantur ſymptomatis, ſic toto decurſu licet breui terroris & periculi plurimùm continent.

NON deſinit in corpore febris, donec humores qui eam alunt & fouent conſumpti, edomiti, aut euacuati fuerint. Opus illud naturæ eſt liberè agentis. Vbi impeditur adiuuanda Medici operâ atque conſiliô : non hîc confert plena diæta, nullâ ratione attritis ſed oppreſſis duntaxat viribus, cum ſoleant magis lædi impura corpora, quò nutriuntur magis ; victus tenuis apprimè eſt conſentaneus. Inter cætera laudatur ſuccus ptiſanæ, melicratum aut inædia. In acutis ſi humores quos inueneris vel ſeruare vel augere ſtudeas, morbum ex ardente furentem feceris. Non eſt augenda humorum copia, vbi eorum vbertas onere grauis eſt minuenda. Præſtat ſinere naturam coctioni incumbentem, quàm eam ad cibum conficiendum mitigandumque prouocare, eo præſertim tempore quo non reficiendæ aut augendæ, ſed tenui cibo fouendæ ac ſuſtinendæ vires.

AD tenuem victum non pertinent oua licet ſorbilia, validum viſcidumque edulium ; multo minùs carnium iuſcula, quæ aſſumpta ſeipſis calidiora euadunt, in æſtuantibus viſceribus facillimè corrumpuntur, os exſiccant, ſitim accendunt, naturæ negotium faceſſunt, ventriculum ſubuertunt cum in eo fluctuent, nec habeant quo craſſeſcant, damnis ægrum mulctant, morbum protrahunt, intemperiem ſalſedine altiùs inculcant, alui fluxus excitant, vires frangunt, periculum augent, criſim impediunt, recidiuas pariunt. Sed omnium inſtar eſt melicratum conſociale noſtro calori, in pituitoſis præſertim febribus, craſſis corporibus, aut in morbi vigore. In cæteris vero acutis, eorumque alijs à vigore temporibus punctum omne feret ptiſanæ ſuccus, qui exhibitus iuſtis ex interuallis ſitim ſedat, ventrem humectat, facile coquitur, diſtribuitur, putredinem humorum idoneâ deterſione reprimit, ſemiputridos ſuccos emendat, vires inſtaurat, febrium denique omnium putredinem, ferociam & acrimoniam demulcet.

Ergò in febribus continuis putridis tenuis victus.

Proponebat Lutetiæ STEPHANVS BACHOT Senonicus. A. R. S. H. M. DC. XLVII